



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio

Coloniae Vbiorvm, 1645

CAP. XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10133

horam vacuam flagitio abire sinebam. Attamen erepta est à te mihi, ploranti, clamanti, ac fidem tuam imploranti, ac multa & magna promittenti, si ab eo morbo periculoque ereptam eam mihi incolumem præstitisses. Sed tu non audiebas; irridebas etiam promissa mea, quæ omnia leves quæcunque auræ difflaturæ essent. Quos ea mihi luctus moriens, quos gemitus peperit! Erant mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte: nec poteram inducere animum, ea carere, qua retenta facile ceteris rebus carebam. Quoties mane ac vesperi domum redibam, quoties prandium vel cœnam inibam, quoties cubiculum ingrediebar, attollebant se oculi, ex dolore demissi, velut expectantes eam aspicere: sed, expectatione sua decepti, se iterum demittebant, atque erumpebant in amarissimos fletus; neque erat ullus lacrimarum modus nec finis.

CAP. XXI.

Sed hunc tantum tamque acerbum dolorem dies ipsa primum lenivit, tum ab animo prorsus abstersit, & cum eo etiam promissa, quæ tibi feceram: & ego protinus ad ingenium redii. Quænam est ista pessimi atque durissimi cordis mei condicio, quæ pertinacia, quæque perversitas? non ignorabam, ob peccata mea eam à te mihi plagam inflictam; personuerant cordis mei aures tuis illis vocibus, Noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat: multa etiam me facturum promiseram: sed vix à me flagellum removisti, cum in eandem vitam revolutus sum denuo. O meum cor durum, quod amore non flectitur; ingratum, quod